

derat: Clamabant enim Sodomitæ: *Hic unus venit ad hospitandum, & judicem indefinenter agit; nunc plus tibi, quam illis faciemus mali: institeruntque in virum illum, in Lotum, valde, & accesserunt, ut effringerent januam.* Gen. XIX, 9. Habebat firmiter in sua memoria, quid patiendum fuerit Prophetis & reliquis justitiæ sacerdotibus. Alii, scribit, ludibria & flagella sunt experti, insuper & vincula & carcerem. Lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, gladio cæsi, mortui sunt, oberraverunt cum ovillis & caprinis pellibus, destituti, afflicti, male habiti. Quibus indignus erat mundus, in desertis errantes, & montibus ac speluncis & cavernis terra. Ebr. XI, 36. 37. 38. Neque ignorabat, quales se Hierosolymitani, qui primi in Religione esse volebant, & debebant, erga Doctores suos se gesserant, de quibus Christus, Matth. XXIII, 34. *Ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex ipsis nonnullos interimetis & crucifigetis: & ex ipsis nonnullos flagellabitis in conventibus vestris, & persequemini oppidatim.* Contumax nimirum mundus in contemnendis & persequendis servis Dei est. Nam non pauci

Ser-